DE

PRIMORDIIS ARTIS HISTORICAE

APUD GRAECOS ET ROMANOS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

GUILELMUS SCHROEDER

CLIVIENSIS.

IENAE, 1868.

TYPIS RATII.

Pulchrum est bene facere rei publicae; etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel bello clarum fieri licet et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere.

Sallust. Cat. 3.

Omnibus hominibus natura insitum est, res sive oculis visas, sive auribus perceptas memoriae tradere traditasque ubicunque licet iterum iterumque tractare. Quod studium cum etiam apud gentes quam maxime rudes atque incultas inveniamus, sine dubio naturae humanae proprium perhibere possumus. In illo vero particula divinae aurae, qua creatoris gratia donati sumus, ita elucet, ut de divina animae nostrae origine dubitare prorsus sit nefas. Pecora quidem prona atque ventri obedientia natura finxit iisque linguam bene formatam negavit; hominem autem ut oculis ad coelum intuendum aptis, ita animo linguaque ad res coelestes humanasque perspiciendas exprimendasque idoneis instruxit. Ne igitur eorum more, qui res omnes et humanas et divinas a necessitate caeca profectas usuque excultas obstinato animo contendunt, in investigandis causis, quae homines ad cognoscendas res gestas impulerint, operam atque oleum perdamus, tot et historicorum et philosophorum gravissimis testimoniis nisi, simul cum vita omnes animi facultates nobis Dei gratia tributas esse iterum iterumque contendimus. Sed aliud est indole vel praeclarissima praeditum esse, aliud hac in-

dole ita uti, ut maximo illo Dei dono digni esse videamur. Quod ut efficiatur ex multis pendet rebus, quas vel natura suppeditet vel homines sibi ipsi parent. Liberum enim hominem esse Deus voluit, quo melius divina copia atque indole eum donatum esse cognoscatur. Hac igitur libertate ita uti, ut leges divinas atque sempiternas, quibus omnia reguntur, intelligamus iisque subiecti vivamus, homini propositum esse videtur. Quae libertas si recte intelligitur, nullo modo mirari possumus, quod alii alio modo divinam indolem excoluerint. Sane multum distat ab Europae diserto atque sollerti incola Africanus ille, qui in silvis fere bestiarum ritu vitam degit atque cibo potuque contentus se ad maiora destinatum esse plane ignorat. Neque tamen huic divinam a Deo indolem negatam esse dicere audemus. Cuius mirae diversitatis causa in eo potius sita esse videtur, quod cum hominum una pars animo suo ad res externas sibi subiungendas usa sit, altera eum ita neglexit, ut fere omnia coelestis originis commoda amiserit. En summa libertatis vis, de qua supra disputavimus!

Sed ut iam dictum est, divina hominum indoles in eo praecipue studio elucet, quod ad res gestas perspiciendas atque memoriae tradendas pertinet. Intelligunt enim homines, aut certe praesagiunt, ex rebus gestis, id est ex singulorum hominum gentiumve aut secunda aut adversa fortuna leges illas erui posse, quibus mundus in aeternum regatur. Has autem leges sequi eo volunt consilio, ut beatam sibi vitam comparent. Quodsi igitur nonnulli[1]) historiam definiunt magistram bene beateque

1) Polyb. I, 1 initio. Dion. Halic. Antiq. Rom. II. p. 978. Diodor. I, 1.

vivendi, non plane errent, modo ne hanc magistram perfectam atque certam esse contendant. Nondum enim illa duce leges, quibus homines reguntur, satis perspici possunt neque multorum saeculorum memoria, si ad aeternitatem spectas, ullius fere est momenti. Quae quamvis ita sint, maneat semperque excolatur studium illud in rebus gestis indagandis collocatum, quoniam si in eo permanebimus, spes erit, fore, ut vitae humanae finis in dies magis cognoscatur.

Iam ex iis, quae supra diximus, intelligi potest, illi, qui rebus humanis divinisque perscrutandis operam dat, nullum esse utilius negotium, quam id, quo de exculta vel neglecta hominum indole certior fiat. Cuius studii longe praeclarissima pars in rerum conscriptarum historia sita est. Sane haec ἱστοριογραφίας historia digna est, quae summo studio tractetur atque pleno rotundoque ore pronuntietur. Nam ut in rebus gestis vis coelestis, ita in arte, qua hae res describuntur, animi humani vis et sollertia conspicue inest. Quare omnibus temporibus doctissimi viri rerum conscriptarum historiam tractandam sibi sumpserunt atque nonnunquam opera perfecerunt, quae cum illustrissimis philosophorum libris suo iure certare possint. Sed id opus, quod artem historicam omnium, qui inotuerunt, populorum tractet, adhuc desideramus. Dignum sane esset opus, cui titulus „historia animi humani“ inscriberetur. Utinam nostri aevi doctissimi et historici et philosophi hunc laborem suscipere animum inducant gloriamque appetant, primos humanae indolis historiam uno conspectu propositam scripsisse! Iam alii aliunde caementa attulerunt, quibus nisum sublime illud aedificium multorum saeculorum

acumina atque labores complectens surgat. Et maxime quidem doctorum virorum industriam in Graecorum et Romanorum arte historica versatum esse non est mirandum, quoniam exempla praeclarissima praebeant, quae posterioribus temporibus rerum scriptores imitati maxima ex parte non adaequarunt. Quibus illorum virorum operibus de primordiis artis historicae apud Graecos et Romanos disputaturus usus sim, in ipsa commentatione suo quodque loco afferetur; alia invitus desideravi.

De Graecorum igitur artis historicae primordiis disputatio prima erit.

Ut hoc loco latius de Graeci populi indole atque ingenio agere omittamus, facile veniam impetrabimus. Sane ita de summa Graeci ingenii praestantia inter omnes constat, ut eam iterum tractare nihil sit, nisi doctissimorum virorum sententias recoquere. Accedit, quod et hac quoque de arte historica commentatione notum illud iudicium non modo non debilitatum, sed etiam auctum inveniemus.

Apud Graecos quoque artem historicam ex iisdem fere fontibus, e quibus aqud plerosque populos, manasse facile argumentatione pervincemus. Omnes enim gentes, quae, ut ita dicam, in pueris sunt, cum nondum certis doctrinis atque satis formata lingua valeant, quodammodo natura coguntur, omnia, quae ipsis aut oculorum auriumve perceptione, aut cogitatione in mentem veniunt eamque commovent, eodem modo formare atque pronuntiare.[1]) Multum valet apud eos illa animi vis, quam

---

[1]) De hac puerili gentium aetate quodammodo illud dici potest, quod de se praedicat Ovidius, Trist. IV, 10:

phantasiam vocant, atque res omnes sibi subiungere quam maxime studet. Debilis contra atque silens est sollers illa cogitatio, cuius vis in definiendo, describendo, declarando versatur. — Sed fac hanc animi facultatem iam ea aetate, de qua nostra est disputatio, aliquo modo viguisse — linguae inopia ei ita obstitisset, ut si dicere atque imperare voluisset, nihil aliud effecisset ac phantasia illa, carmen dico, dum ne pari modo purum id fluxisset. Itaque omnia, quae illius aetatis Graeci et cogitabant et percipiebant, in carmina transducta in lucem prodierunt. Ea igitur, quae re vera vel a maioribus vel ab ipsis gesta erant, cum illis phantasiae imaginibus coniunxerunt, quibus ea, quae sive de rebus divinis sive de natura hominis cogitaverant, exprimere studebant. Quo factum est, ut mythi atque fabulae cum rerum gestarum memoria in unum coalescerent corpus, quod cyclicorum carminum nomine appellare soliti sumus. Ex his iam apparet minime audiendos esse eos, qui epica carmina a sola vi poetica profecta omnique historiae veritate destituta perhibeant. Immo inest aliquid historiae in his carminibus, quod quamvis perdifficile sit eruere negandum non est. Sed cum res poetica in iis semper primum teneret locum, facile fieri potuit, ut posteri res historicas iis insertas investigari posse desperarent. Nostratium autem est historiae carminibus epicis insertae ius suum reddidisse.

Quae autem hucusque de Graecae historiae initiis disputavimus, ut iam supra diximus, eodem iure ad

---

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
Et, quod tentabam dicere, versus erat.

plerosque populos adhiberi possunt. Ne longi simus, fere omnes Asiae gentes, Hebraei, Indi, eadem historiae conscribendae initia nobis praebent. Sed dum illi populi aut mentis quadam inopia — ne dicam naturae iniquitate — usque ad interitum per multa saecula sine ullo fere progressu in his artis historicae quodammodo incunabulis permanent, aut, id quod Germanis accidit, sicca rerum gestarum enarratio, aliena lingua usa, naturalem, ut ita dicam, processum impedivit [1]), Graecorum ingenium atque natura eo provenit, ut corpus illud poetico-historicum in duas partes dividerent, quarum utramque mirabili modo excolebant. Sed iam uberius hunc progressum depingamus necesse est.

Antiquissima Graecorum carmina fabulas, mythos, historiam coniuncta continuisse iam dictum est. Itaque huius poesis reliqua illa pretiosa carmina, Homeri dico, digna sunt, quae ab historico quoque iterum iterumque tractentur. Quibus lectis satis intelligemus antiquissimis temporibus historici munus idem fuisse, quod poetae [2]).

---

[1]) cf. Loebell, Epochen der Geschichtschreibung in Fr. v. Raumer' Histor. Taschenbuch, Neue Folge, 2. Jahrgang p. 342.

[2]) Ubicunque in Homeri carminibus vates nobis occurrunt; canunt, ut Hesiodus dicit, κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων μάκαράς τε θεούς (Theog. 100, cf. etiam 31 sq., alia). Qui vates omnibus gratissimi semper intererant principum conviviis; neque hi solum, sed etiam alii gloriam maiorum cantu praedicabant; de fortissimo quidem et nobilissimo illorum, qui Troiam oppugnabant, virorum Homerus dicit: τῇ (φόρμιγγι) ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ'ἄρα κλέα ἀνδρῶν (Il IX, 189). Quo canendi studio factum est, ut praeclarissimum quodque factum carminibus praedicaretur et rerum gestarum fama pervulgata esset (κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν. Od. VIII, 74). Immo aequalis aetatis res gestae decantabantur et novissimae cuique famae homines maxime fave-

Per multa saecula historia fabulis mythisque quodammodo obruta in vatum (ἀοιδῶν) ore fuisse inter omnes constat. Graeci autem his carminibus, quibus deorum atque maiorum suorum gloria celebrabatur, eo libentius aures praebebant, quo magis cupido rerum priscarum cognoscendarum crevit. Sed cum respublica magis magisque effloresceret atque doctrina maiorem e lingua facilitatem sumeret, sensim mutata est hic simplex memoriae tradendae mos. Ex oceano illo, qui aquas undique collectas tunc continuit, singulos rivos rivulosque derivabant et quamvis illum patrem et auctorem omnium semper colerent, his quoque suum tribuebant honorem. Intelligebant enim cum res artesque omnes in poesi epica indiscretas iacerent, opus esse, ut poesin ab aliis disciplinis seiungerent et suum cuique adsignarent locum. Quantum ad historiam, ex hac ingenii mutatione id processit, ut nonnulli poetae omisso fere omni ornatu poetico rebus gestis canendis operam darent. Quos et antiqui et recentiores cyclicorum poetarum nomine comprehendere solent. Tractabant autem hi poetae omnem fabularum et historiarum orbem eodem modo, quo et a prioribus poetis eum acceperant et vulgi memoria perceperant[1]). Evanuit sensim vis illa poetica,

---

bant (τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσι ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, Od. I. 351 cf. etiam 325, 339, VIII, 472 sqq.) Vates autem excitantur a Musis (Od. VIII, 73), quarum proprium est omnia accurate scire: ἴστε τε πάντα, ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν (Il. II, 484).

1) Quam ob rem iam ab antiquis appellantur ποιηταὶ ἱστορικοί vel οἱ τὰ Κύπρια συγγράψαντες, scriptor cyclicus (Hor. A. P.). Locus palmarius autem de cyclicorum carminibus est Procli: λέγει δὲ

plerosque populos adhiberi possunt. Ne longi simus, fere omnes Asiae gentes, Hebraei, Indi, eadem historiae conscribendae initia nobis praebent. Sed dum illi populi aut mentis quadam inopia — ne dicam naturae iniquitate — usque ad interitum per multa saecula sine ullo fere progressu in his artis historicae quodammodo incunabulis permanent, aut, id quod Germanis accidit, sicca rerum gestarum enarratio, aliena lingua usa, naturalem, ut ita dicam, processum impedivit [1]), Graecorum ingenium atque natura eo provenit, ut corpus illud poetico-historicum in duas partes dividerent, quarum utramque mirabili modo excolebant. Sed iam uberius hunc progressum depingamus necesse est.

Antiquissima Graecorum carmina fabulas, mythos, historiam coniuncta continuisse iam dictum est. Itaque huius poesis reliqua illa pretiosa carmina, Homeri dico, digna sunt, quae ab historico quoque iterum iterumque tractentur. Quibus lectis satis intelligemus antiquissimis temporibus historici munus idem fuisse, quod poetae [2]).

---

[1]) cf. Loebell, Epochen der Geschichtschreibung in Fr. v. Raumer' Histor. Taschenbuch, Neue Folge, 2. Jahrgang p. 342.

[2]) Ubicunque in Homeri carminibus vates nobis occurrunt; canunt, ut Hesiodus dicit, κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων μάκαράς τε θεούς (Theog. 100, cf. etiam 31 sq., alia). Qui vates omnibus gratissimi semper intererant principum conviviis: neque hi solum, sed etiam alii gloriam maiorum cantu praedicabant; de fortissimo quidem et nobilissimo illorum, qui Troiam oppugnabant, virorum Homerus dicit: τῇ (φόρμιγγι) ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν (Il IX, 189). Quo canendi studio factum est, ut praeclarissimum quodque factum carminibus praedicaretur et rerum gestarum fama pervulgata esset (κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἵκανεν. Od. VIII, 74). Immo aequalis aetatis res gestae decantabantur et novissimae cuique famae homines maxime fave-

Per multa saecula historia fabulis mythisque quodammodo obruta in vatum (ἀοιδῶν) ore fuisse inter omnes constat. Graeci autem his carminibus, quibus deorum atque maiorum suorum gloria celebrabatur, eo libentius aures praebebant, quo magis cupido rerum priscarum cognoscendarum crevit. Sed cum respublica magis magisque effloresceret atque doctrina maiorem e lingua facilitatem sumeret, sensim mutata est hic simplex memoriae tradendae mos. Ex oceano illo, qui aquas undique collectas tunc continuit, singulos rivos rivulosque derivabant et quamvis illum patrem et auctorem omnium semper colerent, his quoque suum tribuebant honorem. Intelligebant enim cum res artesque omnes in poesi epica indiscretas iacerent, opus esse, ut poesin ab aliis disciplinis seiungerent et suum cuique adsignarent locum. Quantum ad historiam, ex hac ingenii mutatione id processit, ut nonnulli poetae omisso fere omni ornatu poetico rebus gestis canendis operam darent. Quos et antiqui et recentiores cyclicorum poetarum nomine comprehendere solent. Tractabant autem hi poetae omnem fabularum et historiarum orbem eodem modo, quo et a prioribus poetis eum acceperant et vulgi memoria perceperant[1]). Evanuit sensim vis illa poetica,

---

bant (τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσι ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται, Od. I. 351 cf. etiam 325, 339, VIII, 472 sqq.) Vates autem excitantur a Musis (Od. VIII, 73), quarum proprium est omnia accurate scire: ἴστε τε πάντα, ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν (Il. II, 484).

1) Quam ob rem iam ab antiquis appellantur ποιηταὶ ἱστορικοί vel οἱ τὰ Κύπρια συγγράψαντες, scriptor cyclicus (Hor. A. P.). Locus palmarius autem de cyclicorum carminibus est Procli: λέγει δὲ

quae elucet in consilio, compositione, elocutione carminum Homericorum in eiusque locum successit sicca quaedam quotidiani sermonis simillima narratio. Ut Horatiani temporis Romani nummis virtutem postposuerunt, ita fere et cyclographi eorumque auditores semper semperque res gestas poscebant, enarrationis virtutem plane fere omittebant. Satis iam habebant, quod haec carmina suetis numeris recitabantur, amissam pulchritudinem atque colorem illum, qui Homero adhuc mentes conciliat, non quaerebant. Itaque iam Aristoteles eorum carmina divinis Homeri operibus longe postponit reprehenditque τοὺς πολλοὺς τῶν ποιητῶν, quod historiarum modo argumenta componerent; quos autem in animo habuerit poetas, inde colligendum esse puto, quod τὰ Κύπρια affert et τὴν μικρὰν Ἰλιάδα[1]).

Cyclicorum igitur, qui omissa poetica veritate solas res spectent, carmina iam propius ad historiam accedere omnino non est negandum. Tantum autem abest, ut historiarum nomine digna sint, ut carminibus ea semper adnumeremus. Promulgant enim meras fere fabulas atque mythos undecunque collectos sine ullo aut veritatis studio aut arte critica.

Eo autem tempore, quo rerum gestarum cura atque memoria in cyclicorum ore fuit, res Graecorum in dies magis crescentes opes atque vires antea inusitatas ceperunt, iisque nitentes atque fruentes artes quoque et

---

ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων (Photii bibliothec. p. 521 ed. Hoeschel).

1) cf. Aristotelis poeticae §. 38 ed. Tyrrwhitt; tota § legenda est.

litteras excolere studuerunt. Huc accedit, ut res publica liberata a tyrannis, qui quidem ipsi artium atque litterarum splendore dominationem exornare cupiebant, ad nobiles venit, qui virtute atque aemulatione elati suis urbibus omni modo gloriam opesque comparare studebant. Neque illud praetereundum mihi videtur esse, quod scribendi ars his temporibus, si non inventa est at certé in multorum usum venit. Iam videndum est, fieri non potuisse, quin haec aetas omnes animi vires excitaret eamque ingrederetur viam, cuius finem bello Peloponnesiaco situm semper lugebimus[1]). Ut orientem philosophiam, florescentem lyricae poesis cultum, physices prima initia omittamus, rerum gestarum memoria poetarum numeros effugit suique iuris esse omnibus viribus contendit. Evanuit illa poesis, quae omnes artes disciplinasque rotundo ore pronuntiaverat et ut singulae urbes civitatesque certis finibus circumscriptae exstiterunt, ita artes quoque doctrinaeque suum quaeque cepit agrum curriculumque. Non quocunque modo, ut antea audentium voluptati, sed — quamvis occulte initio — utilitati inservire studebant litterae, quarum non ultimae historiae erant. Ne longus sim. nonnulli exstiterunt viri iique fere omnes originis Ioniae, qui rebus antea gestis tractandis operam dederunt. Quorum aetatem si certis finibus circumscribere volumus, ab Ol. XXXX—Ol. LXXV fuisse statuendum est.

---

1) Utilissima est comparatio huius Graecorum aetatis cum aetate nostri populi ea, qua defuncto imperatore Friderico II urbes effloruerunt eorumque cives cum alias artes doctrinasque tum historiam (Chroniken) diligentissime tractabant atque excolebant.

Iam ex hac temporis descriptione apparebit scriptores illos, de quibus disputatio erit, non inter se prorsus similes aut, id quod nonnulli voluerunt, simillimos fuisse. Nam cum apud gentes tardo animo praeditas naturaeque iniquitate impeditas, vix saeculum aliquod inveniri possit, quod sine ulla sit in meliorem partem mutatione: quomodo apud Graecos, homines praeclarissima indole ornatos secundaque fortuna elatos, fieri hoc potuerit plane ignoramus. Quod impedire nos non potest, quin hos scriptores omnes simul examinemus et doctissimorum virorum auctoritatem secuti, uno nomine eos comprehendamus. Nam id, quod nobis proposuimus, et manca illius aetatis cognitio, a fragmentorum inopia profecta, aliam ingredi viam nobis non permittunt.

Historicos autem, de quibus nunc est dicendum, Thucydide auctore [1]) fere omnes et historici et critici „logographos" appellarunt. Dahlmannus quidem [2]) hoc nomine parum idoneo historiarum scriptores omnes, qui Herodotum praecedant, comprehendi dicit. Suo autem iure vir doctissimus haec contendat, si illi appellationi et vituperatio quaedam subiiciatur et una cum eodem nomine idem omnibus adtribuatur ingenium. Quod utrumque nobis non est in animo. Cum autem illi rerum scriptores iam inde a Thucydidis aetate „logographi" appellari soliti sint, nobis quoque hoc nomine uti liceat, quippe quod non inepte sit fictum. Nam eorum natura quodammodo hac significatione definitur, quoniam λόγους i. e. narrationes traditas scripserunt, quae neque,

1) cf. Thuc. I, 21.

2) Herodot: Aus seinem Buche sein Leben p. 109.

ut μῦθοι, prorsus confictae, neque, ut ἱστορίαι, critica ratione probata erant. Quorum tamen vocabulorum usum apud alios alium esse docet Creuzerus[1]).

Logographi igitur, quos omnes hoc loco enumerare longum est, per duo fere saecula res gestas Graecorum aliorumque populorum litteris consignaverunt. Praecipuorum nomina Dionysius Hal.[2]) affert; sunt fere hi: Cadmus Milesius, Acusilaus Argivus, Charon Lampsacenus, Hecataeus et Dionysius Milesii, Xanthus Lydus, Hellanicus Mitylenensis, Pherecydes Lerius, Damastes Sigeensis. De vitis moribusque singulorum exstant perpauca, quae certam sententiam non admittunt. Viros autem fuisse, ut pro temporibus suis, doctrina atque litteris imbutos, ita civibus suis acceptos gratosque ex nonnullis narratiunculis docemur. Ut alia omittamus, Hecataeum apud suae aetatis principes multum valuisse Herodotus gravissimus est auctor[3]). Quae cum ita sint etiam non perspecta uniuscuiusque vita, veritatis studiosos illos fuisse contendere possumus, praesertim cum nemo exstet veterum scriptorum, qui eos veritatis consilio depravatae arguat. Animadvertunt sane illi veteres omnia logographorum peccata nec unquam ea tegere student, ex quo apparet logographorum opera summa industria ab iis recensita esse. Quae cum ita sint, num veritati sive partium studio sive alia causa corruptae pepercissent illi acerbi atque incorrupti iudices, quorum e numero Thucydidem, Herodotum, Dionysium Hal. no-

---

1) Die historische Kunst der Griechen p. 173 not. 6.

2) Iudic. de Thuc. p. 818 ed. Reiske.

3) cf. Herod. V, 36.

minasse satis habemus? Sed tamen vir de historia quam maxime meritus, Dahlmannus[1]) Charonis studium veritatis in dubium vocat; contendit enim, eum nonnulla reticuisse, ne iis narratis Graecos offenderet Quae res qualis sit videas ex duobus fragmentis, quae conferenda sunt cum Herodoti de iisdem rebus narratione[2]). Mea quidem sententia ex hac Herodoti cum Charone comparatione neque illius (quod vult Plutarchus[3]) neque Charonis (quod vult Dahlmannus l. l.) laudes imminui posse videntur; omnis enim criminatio eo diluitur, quod res a Charone summis tantum lineis descriptas Herodotus ita tradiderit, ut singula quaeque rerum momenta diligenter exponeret. Nihil igitur est, quod nos impediat, quominus logographos viros religiosissimae fidei fuisse perhibeamus.

Sed longe aliter res se habet, si quaestio oritur, num verum ubique investigare atque pronuntiare potuerint logographi. Qua in quaestione solvenda viri doctissimi saepe in eum errorem inciderunt, quem iam supra notavimus. Una eademque horum scriptorum appellatione decepti facile sibi persuasum habebant, de eorum fide idem valeat necesse esse. Quo nihil perversius esse potest. At veteres iam critici apertis verbis testantur hos scriptores inter se simillimos fuisse. Dionysius enim dicit[4]): *οὗτοι προαιρέσει τε ὁμοίᾳ ἐχρήσαντο περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὑποθέσεων καὶ δυνάμεις οὐ πολύ τι διαφερούσας*

1) Herodot: Aus seinem Buche sein Leben p. 117 et 118.

2) l. l. p. 153—181; fragm. attulimus p. 27.

3) De malignitate Herodoti p. 20 et 24.

4) De Thuc. iud. p. 819.

ἔσχον ἀλλήλων. Sed tenendum est hos antiquos, quibus fidem omnino denegare non audemus, de dispositione elocutioneque logographorum non de arte critica illud dixisse. Atqui fac scriptores vel duos vel plures eadem rerum dispositione, eadem sententiarum elocutione uti: num putas animi facultates omnes easdem fuisse? Habeant igitur illa Dionysii verba suum ius, sed ne nimis iis tribuatur videndum est. Ipsa logographorum opera eorumque quamvis perpauca fragmenta aliam nobis ostendent viam.

Memoriae igitur tradebant logographi res omnes inde ab antiquissimis temporibus usque ad illam aetatem gestas. Quarum rerum ea pars, quae ad antiquitatem spectabat et in carminibus poetarum et in ore vulgi fabulis mythisque obruta inerat. Qui igitur hanc rerum gestarum partem tractandam sibi sumpserunt, non potuerunt non hos fontes ita sequi, ut eos accurate exscriberent versusque in orationem pedestrem transducerent. Ne hanc servilem scribendi conditionem condemnemus, tenendum est, logographorum aequales de fabulis mythisque non modo non dubitasse, sed iis, quantum ad ipsorum maiores et patrias sedes spectarent, gloriatos esse. Huc accedit, quod antiquissimae de populorum origine, de urbibus conditis, de heroum rebus gestis narrationes cum diis ipsis ita coniunctae erant, ut iis contradicere logographi pietate quodammodo vetarentur. Sed etiam illis fabulis, quas refutare et emendare licebat, logographi aut ipsi fidem habebant, aut haerebant dubii, cum omnis illa aetas quasi in diluculo inter puerilem illarum fabularum fidem orientemque rationis facultatem posita esset.

Recte igitur his logographis, quorum e numero Acusilaum illum Argivum nominamus, vel initia artis criticae denegamus. Nam ille carmina Hesiodi in orationem pedestrem transduxisse dicitur, quo negotio nihil ab historici iusta opera alienius esse potest. Mutatur autem iudicium nostrum si illos consideremus historicos, qui, quamquam prioris aetatis memoriam non plane omittebant, rebus illo tempore gestis tradendis summam dabant operam. Quibus in describendis et ipsi veritatem quam maxime quaerebant et lectores, qui vel rebus gestis interfuerant vel a testibus iustum acceperant nuntium, omnia peccata et intelligere et notare poterant; quo fiebat, ut historico opus esset doctrina quadam atque sagacitate, qua falsa fictaque a veris seiungere posset. Quis autem neget, hoc modo fieri non potuisse, quin sensim ars critica oreretur, quamvis rudis et ut ita dicam horrida. Sententiae quidem loco hoc proponamus: Simulatque scriptorum consilium eas res, quae vel ipsis testibus vel ipsis viventibus acciderunt, tractare coepit, ars critica existat necesse est. Sed iam ad logographos redeamus eorumque illos in artis criticae initiis versatos afferamus. Quorum longe primum obtinent locum Hecataeus Milesius et Hellanicus Lesbius, qui non solum rebus illa aetate gestis studuerunt, sed etiam patriae fines egressi aliarum terrarum populorumque res fortunasque latius atque diligentius tractaverunt. Quod ut efficere possent, longinqua inierunt itinera atque Ulyxis more permigratis terris cognitisque incolarum moribus atque indole domum reversi cives scriptis narrationibusque et edocebant et delectabant. His recte perpensis num Hecataeum vel Hellanicum cum Acusilais illis conferas?

Velim hi mythographi appellentur, ut logographorum nomen illis permaneat, qui propius iam ad iustam accesserunt historiam. Sed cum illi logographi rebus sua aetate gestis recte cognoscendis doctrinam aliquam adhiberent, fieri non potuit, quin sensim hanc rationem ad fabulas et mythos quoque accommodarent atque de iis dubitare iam inciperent. Praeclarissimum huius rei exemplum praebet prooemium Hecataei Milesii: Τάδε γράφω ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι ὡς ἐμοὶ φαίνονταί εἰσιν. Sane hoc prooemium acrem ostendit criticum, qualem opus ipsum praestitisse non videtur. Nempe aliud est, falsum aliquid esse intelligere, aliud emendare atque in melius mutare[1]. Ne igitur illis viris vituperationi demus, quod in tractandis solvendisque mythis saepe lapsi sint, saepe perversa sententia ducti novas ipsi creaverint fabulas! Serioris enim aetatis viri doctissimi in hoc lubrico campo saepe erraverunt. Quae cum ita sint, quomodo si his, summis viribus subtilique doctrina instructis ignoscas, illos rudis quodammodo ingenii homines nota afficies censoria? Satis potius habeamus logographos pro viribus artem illam criticam nonnunquam exercuisse. Cuius rei nonnulla exempla afferre liceat: Ἑκαταῖος μὲν ὁ Μιλήσιος λόγον εὗρεν εἰκότα, ὄφιν φήσας ἐπὶ Ταινάρῳ τραφῆναι δεινόν, κληθῆναι δὲ Ἅιδου κύνα, ὅτι ἔδει τὸν δηχθέντα τεθνάναι παραυτίκα ὑπὸ τοῦ ἰοῦ· καὶ τοῦτον ἔφη τὸν ὄφιν ὑπὸ Ἡρακλέους ἀχθῆναι παρ'

1) Similiter Diodorus Siculus in operis sui prooemio strenuum refert historicum, quem, si opus perscrutabimur, semper desiderabimus.

Εὐρυσθέα [1]). Conferas etiam fragm. 349, quo dicit Hecataeus, Herculem non ex Iberorum regione, sed ex continente, quae circa Ambraciam et Amphilochos sit, boves abreptas duxisse neque hunc laborem fuisse parvum. Hellanicus autem contra vulgatam opinionem contendit Troiam a Graecis nunquam funditus eversam, sed suae aetatis urbem eandem esse, quam Graeci olim obsedissent.

Sed ut de fide atque auctoritate logographorum iustam ferre possimus sententiam, breviter fontes, quibus usi sint, examinemus. Maxima autem ex parte poetas ab iis exscriptas esse constat. De quorum auctoritate cum iam supra nonnulla adtulerimus, satis habemus lectorem ad illa revocare. Deinde populi narratiunculas saepe scriptores illi secuti sunt, quo nihil, nisi exculta ars critica praesto est, historico periculosius est. Deinde catalogos sacerdotum in templis servatos (de quibus infra agetur), monumenta quoque eorumque inscriptiones a logographis inspecta atque adhibita esse non sine gaudio fatemur. Quae quamquam non omnino fabulis vacant, tamen quasi filum veritatis plerumque tenere solent.

Quibus omnibus satis intellectis hanc de fide atque auctoritate logographorum offerimus sententiam: Veritatem ubique praestare studuerunt logographi et quamvis in enarrandis antiquitatis rebus gestis fabulis mythisque indulserint, tamen in iis narrationibus, quae ad ipsorum aetatem spectant et nonnunquam etiam in aliis

---

1) cf. Muelleri fragm. hist. Graec.: Hecataei fragm. 346 cf. etiam fragm. 72.

eam prae se ferunt speciem, ut ab arte critica eos non prorsus alienos fuisse intelligamus.

Sequitur iam, ut de dispositione, qua historias logographi conscripserint, disputemus. Quam dispositionem munus historici esse Dionysius dicit his verbis[1]: Μετὰ τοῦτο ἔργον ἐστὶν ἱστορικοῦ διελέσθαί τε καὶ τάξαι τῶν δηλουμένων ἕκαστον ἐν ᾧ δεῖ τόπῳ et alio loco laudat Herodoti opus, ut unum et continuum[2]: Τὸ γὰρ αὐτὸ προοίμιόν τε καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος ἐστὶ τῆς ἱστορίας. Sed cum Dionysius non adiiciat, qua ratione illud efficiendum sit, lectorem ad illa Ciceronis verba revocamus, quae insunt in libro de oratore secundo[3]: „Rerum ratio — Antonius ait — ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectentur et de consiliis significari, quod scriptor probet et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo: et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama et nomine excellant, de cuiusque vita atque natura.“ Ex his iam apparet, quam falsum sit sola aut temporum aut locorum aut causarum in ipsis rebus sitarum ratione historiam describere. Quae omnes rationes simul adhiberi volunt neque unquam, nisi earum unicuique fit satis, historicum opus iusta frui laude permittunt. Quam

1) Epistola ad Cn. Pomp. p. 773.

2) p. 767.

3) p. 15.

rem Lucianus quoque expressisse videtur[1]: Ὅλως δὲ — ait— νομιστέον, τὸν ἱστορίαν συγγράφοντα Φειδίᾳ χρῆναι ἢ Πραξιτέλει ἐοικέναι ἢ Ἀλκαμένει ἢ τῷ ἄλλῳ ἐκείνων.

Cognita iam ratione, qua disponendae et coniungendae sint res gestae, inquiramus, quid hac in re profecerint logographi. Eos per urbes et populos res gestas ita divisisse, ut quaecunque apud singulos invenissent, separatim narrarent, auctor est Dionysius: Καὶ αὐτὰς δὲ ταύτας (ἱστορίας) οὐ συνάπτοντες ἀλλήλαις ἀλλὰ κατ' ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις διαιροῦντες καὶ χωρὶς ἀλλήλων ἐκφέροντες[2].

Qua disponendi ratione maxime in libris illis, qui περιηγήσεις vel περίοδοι γῆς vel περίπλοι vocantur, logographos usos esse facile intelligitur. In his enim unius cuiusque populi nomen, origines, antiquissima facta, migrationes aliaeque mutationes tradebantur; quod autem ad urbium descriptiones adtinet, dii unoquoque loco culti, conditores eorumque merita, alia eiusmodi praecipue explicabantur. Quam rem ex fragmentis quidem, quippe quae sint brevissima, plane perspicuam reddere non licet; sed ne omnino argumentis nostra egeat sententia unum afferam Hecataei fragmentum ex libro depromptum, qui inscriptus erat περίοδος γῆς[3]: Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἑτέρους λέγει τῶν Ἠλείων τοὺς Ἐπείους· τῷ γοῦν Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι τοὺς Ἐπείους ἐπὶ Αὐγείαν

---

1) Quomodo historia sit conscribenda p. 51; cf. eiusdem l. c. 23 et 27.

2) p. 819.

3) cf Mueller. Hecataei fragm. 91;—conferri etiam possunt fragm. 46. 47. 48. 61. 86. 95. 102 alia.

καὶ συνανελεῖν αὐτῷ τόντε Αὐγείαν καὶ τὴν Ἦλιν, φησὶ δὲ καὶ τὴν Δύμην Ἐπειίδα καὶ Ἀχαΐδα.

Alia disponendi ratio, eaque apud omnes chronologiae imperitos populos usitatissima, in iis logographorum invenitur libris, qui genealogici vocantur. In his igitur fabulas per stirpes distinctas ita tractabant, ut genealogica fila sine interruptione texerent iisque omnia insererent, quae ad origines gentium urbiumque et earum fortunas spectabant. Cuius ordinis exemplum praebet primum iam ex Phoronide Hellanici fragmentum[1]): Τοῦ Πελασγοῦ, τοῦ βασιλέως αὐτῶν, καὶ Μενίππης τῆς Πηνειοῦ ἐγένετο Φράστωρ· τοῦ δὲ Ἀμύντωρ· τοῦ δὲ Τευταμίδης· τοῦ δὲ Νάνας. Ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν, καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μισογείῳ εἷλον· καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν.

Prorsus autem ad temporum rationem se applicuit Hellanicus in opere, quod inscriptum erat „Ἱέρειαι τῆς Ἥρας.“ Fuerunt enim in templo Iunonis Argivae sacerdotum catalogi, inde ab illo tempore, ut videtur, confecti, quo primum homines in animum induxerunt vetustissimorum temporum memoriam servare servatamque in ordinem quendam redigere. Neque sola sacerdotum nomina, sed etiam rerum gestarum memoratu dignissimas his tabulis consignatos fuisse verisimile est. Quibus igitur ἀναγραφαῖς Hellanicus tanquam fundamento usus est, cui superstrueret opus suum historicum[2]).

---

1) cf. Dionysii Hal. Antiq. Rom. I, 28.

2) Cui operi similia fuisse videntur Hellanici „Carneonicae“ et

Illum vero connexum, qui in rerum ipsarum similitudine earumque causis positus sit, rarissime in logographorum scriptis apparere iam eo intelligitur, quod paucis libris quam maximum temporis spatium complectebantur, immo tales etiam libros saepissime rebus mythicis fabulosisque implebant. Itaque illud Tzetzae de Hellanici narratione aliqua „οὐ λέγει δὲ τὴν αἰτίαν“ [1]) ad plurima logographorum scripta accommodari potest. Cum igitur interiore vinculo res coniungere logographi non studerent neque ingenii indole id perficerent, opera eorum solam, ut ita dicam, rerum gestarum, mythorum, narratiuncularum congeriem complexa sunt. Parum enim considerabant τίνα τε δεῖ παραλαβεῖν ἐπὶ τὴν γραφὴν πράγματα, καὶ τίνα παραλιπεῖν [2]), sed id solum agebant, ut, quod saepius iam diximus, quaecunque e poetarum operibus, e narrationibus hominum, e monumentorum inscriptionibus alioque modo accepissent, narrando redderent.

Non alienum videtur hoc loco breviter exponere, quomodo rebus geographicis operam dederint quidve in iis profecerint logographi. Omnino igitur terrarum mariumque descriptioni illos studuisse iam ex eo colligi

---

Charonis „Prytanes“, quorum nulla exstant fragmenta. — Neque solum in Iunonis Argivae sed etiam in Apollinis Delphici templo aliisque tales catalogos fuisse Curtius docet (Griech. Gesch. I, p. 421 sq.). Quae autem idem vir doctissimus de summo eorum momento cum ad historiam tum ad Herodoti opus adiicit, non minus, quam alia de oraculis ab eodem ingeniose quidem exposita aliqua ex parte esse restringenda mihi videntur.

1) cf. Mueller. fragm. Hellanici 84.

2) Dion. Hal. ep. ad Cn. Pomp. p. 771.

potest, quod nonnulli Asiae Europaeque terras permigraverunt, id quod sine multo labore periculoque fieri non potuisse apparet. Quae cum ita sint, magna illa itinera praeclarissimum sunt documentum, quanto rerum externarum cognoscendarum studio logographi flagrarent. Quem vero fructum ex laboribus et ipsi perceperint et aequalibus comparaverint adhuc intelligere possumus. Herodotus[1]) enim ea, quae de terris externis logographi memoriae tradiderant, saepe sua auctoritate confirmat, nonnunquam emendat aut refutat. Sed omnino eorum in terris inspiciendis moribusque gentium perscrutandis diligentiam commendat. Imprimis autem ex logographorum longa serie Hecataeum Milesium commemorat[2]). Qui scriptor quam rerum geographicarum peritus fuerit, narratiuncula aliqua aperte ostendit, quam ex Herodoti opere[3]) depromptam lectoribus iam proponamus. Hecataeus igitur confectis itineribus in patriam reversus ab Aristogora, Ioniae defectionem meditante, in Milesiorum consilium advocatus est. In qua cum reliqui omnes Aristagorae cederent sententiae, unus Hecataeus quot quantique populi sint regi Persarum subiecti exponens, ut a coniuratione desisterent hortatus est. Tabulam illam geographicam totius terrae ambitum, maria et fluvios omnes complectentem, quam Aristagoras Cleomeni Lacedaemoniorum regi ostendisse dicitur, ab Hecataeo emendatam eiusque scriptis illustratam fuisse verisimillimum est[4]). Itaque a geographis serioris quoque aeta-

1) II, 143; V. 49.
2) V, 36. 125; VI, 137.
3) V, 36, 125.
4) Cf. cum Herod. V, 49 locum Agathemeri I, 1: Ἀναξίμανδρος

tis laudibus Hecataeus evehitur; quod locus ille Marcellini (XXII, 8) testatur, in quo hic scriptor et Hellanicum et Hecataeum minutissimos geographicarum cognitionum scrutatores vocat. Sed caveamus, ne haec testimonia secuti, logographorum doctrinam geographicam perque laudemus. Saepissime eos errasse cum ex ipsorum fragmentis [1]) tum ex crebra Herodoti vituperatione intelligitur. Sed tamen haec ipsa eorum studia geographica summi ad artem historicam procreandam momenti fuisse, quis est, quin intelligat?

Oritur iam quaestio num certo consilio historias suas condiderint logographi necne. Qua de re quamvis ex perpaucis, quae exstant fragmentis, coniicere non liceat, iis quae supra de dispositione diximus rite consideratis dubitatio esse potest nulla. Nam cum id solum spectarent scriptores illi, ut quam uberrima rerum copia lectores suos edocerent et oblectarent, omnis industria in colligendis conserendisque rebus versata est. Quare de operum compositione idem suo iure dici potest, quod de eorum elocutione Demetrius pronuntiavit [2]): scripta illa *λίθοις διεῤῥιμένοις μόνον καὶ οὐ συγκειμένοις* similia esse [3]).

ὁ Μιλήσιος πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Μεθ' ὃν Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ἀνὴρ πολυπλανής, διηκρίβωσεν ὥστε θαυμασθῆναι τὸ πρᾶγμα.

1) Unum exempli causa afferam: *Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἐκ τοῦ Φάσιδος διελθεῖν εἰς τὸν Ὠκεανόν, εἶτα ἐκεῖθεν εἰς τὸν Νεῖλον, ὅθεν εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν* (de Argonautis fragment. e Schol. Apollon. Rhod. IV, 289).

2) cf. infra p. 28.

3) Quod hac in re Herodotus artem historicam provexit et per-

Quaerentibus iam nobis, quonam dicendi genere usi sint logographi, primum notandum est, eos inter primos fuisse, qui pedestri oratione scripserint. Ante horum enim aetatem, quaecunque memoriae tradebantur, oratione certis numeris distincta ornataque servabantur. Sed haud multum ante bella cum Persis gesta variis causis, quas hoc loco recensere a proposito nostro alienum est, effectum est, ut soluta oratione scriptores uterentur. Primi hoc fecisse feruntur Pherecydes Syrius et Cadmus Milesius, quorum alter philosophus alter logographus fuisse dicitur. Atqui quamvis hac aetate primum orationem pedestrem adhibitam esse inter omnes constet: de origine huius dicendi formae doctorum virorum sententiae mire discrepant. Quodsi mea de hac re sententia quaeratur, libere fateor, me non iis assentiri, qui Strabonis potissimum loco [1]) nisi, illa aetate ipsam pedestrem orationem inventam esse dicant. Equidem de prosae orationis inventione certam sententiam fieri non posse ratus Ulricio assentior, qui et poeticam et pedestrem orationem eodem tempore exstitisse contendit [2]). Quis enim antequam illi prosae orationis, ut ita dicam magistri, exorti sint, Graecos omnes vulgo versibus locutos esse censet? Quanquam igitur negamus pedestrem orationem ante Pherecydis et Cadmi aetatem omnino non exstitisse, tamen fatendum est eam ipsam poeticum quoddam spirasse, quod cum ingenio et iuventute populi

---

multo a logographis differt, videtur causa esse praecipua, cur „pater historiae" iam ab antiquis sit appellatus.

1) Strabo I. p. 34 λύσαντες τὸ μέτρον κ. τ. λ.

2) Charakteristik der antiken Historiographie p. 21 et 23.

ad poesin quodammodo nati, tum diuturno illo poeticae orationis usu effectum esse patet. Sed cum fragmenta ipsa logographorum tam pauca sint, quae de eorum dictione certam non admittant sententiam, veterum testimoniis in hac commentationis parte quam maxime nitamur necesse erit.

Dialecto igitur usi sunt ionica, quae tunc in ea Asiae parte, cuius cives logographi erant, quam maxime viguit (*τὴν τοῖς τότε χρόνοις μάλιστ' ἄνθουσαν*)[1]). De dicendi autem genere omnes fere veterum sententiae contendunt logographos, cum sine ullis ornamentis dictionis narrarent, non tam exornatores rerum, quam narratores fuisse[2]). Apertis autem verbis Dionysius Hal. in eo libro, quem de Thucydidis conscripsit historia, logographorum dictionem distinxit: *Λέξιν τε* — ait — *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὴν αὐτὴν ἅπαντες ἐπετήδευσαν, ὅσοι τοὺς αὐτοὺς προείλοντο τῶν διαλέκτων χαρακτῆρας, τὴν σαφῆ καὶ κοινὴν καὶ καθαρὰν καὶ σύντομον καὶ τοῖς πράγμασι προςφυῆ καὶ μηδεμίαν σκευαρίαν ἐπιφαίνουσαν τεχνικήν· ἐπιτρέχει μέντοι τις ὥρα τοῖς ἔργοις αὐτῶν· καὶ χάρις τοῖς μὲν πλείων τοῖς δ' ἐλάττων δι' ἣν ἔτι μένουσιν αὐτῶν αἱ γραφαί.* Idem fere dicit in eiusdem libri p. 864, ex quo apparet logographorum dictionem non omni quidem venustate caruisse, sed tamen summam eius laudem in puritate et perspicuitate positam esse[3]). Quorum iudicio consentit Cicero, qui haec fere de illis habet: „Scriptores illi neque tenent, quibus rebus or-

1) Dion. Hal. iud. de Thuc. p. 864.

2) Cic. de orat. II, 12.

3) cf. Hermogenis *περὶ ἰδεῶν* p. 399.

netur oratio et dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem." Quare Cicero logographos cum annalium confert scriptoribus, qui primis urbis saeculis Romae exstiterunt et Dionysius Hal. [1]) „σχῆμα δὲ — ait — ἀποδίδωμι τῇ πραγματείᾳ... οὔτε ταῖς χρονικαῖς παραπλήσιον, ἃς ἐξέδωκαν οἱ τὰς Ἀτθίδας πραγματευόμενοι· μονοειδεῖς γὰρ ἐκεῖναί τε καὶ ταχὺ προςιστάμεναι τοῖς ἀκούουσιν." Quam brevitatem nonnunquam nota dignam fuisse, adhuc ex fragmentis apparet, quorum duo hic habeant locum: Πακτύης δὲ ὡς ἐπύθετο προςελαύνοντα τὸν στρατὸν τὸν Περσικὸν ᾤχετο φεύγων ἄρτι μὲν εἰς Μιτυλήνην, ἔπειτα δὲ εἰς Χίον· καὶ αὐτοῦ ἐκράτησε Κῦρος [2]). Alterum fragmentum de Ionibus, qui a Persarum rege defecerint, his agit verbis: „Ἀθηναῖοι δὲ εἴκοσι τριήρεσιν ἔπλευσαν ἐπικουρήσοντες τοῖς Ἴωσι καὶ εἰς Σάρδεις ἐστρατεύσαντο· καὶ εἷλον τὰ περὶ Σάρδεις ἅπαντα χωρὶς τοῦ τείχους τοῦ βασιληΐου· ταῦτα δὲ ποιήσαντες ἐπαναχωροῦσιν εἰς Μίλητον. Quem dictionis colorem si recte intelligere volumus, Herodoti de iisdem rebus multo fusiorem narrationem cum illis fragmentis coniungamus necesse erit [3]). Quodsi fecerimus

---

1) Antiq. Rom. p. 23.

2) cf. Mueller. I fragm. ex Cheronis „Persicis".

3) I, 153—181 et V. — Idem quod de Charone et fortasse etiam maiore iure dicendum est de Hellanico, quem ex primo iam fragmento tantopere afuisse intelligimus a prolixa fabularum enarratione, ut nihil fere nisi genealogias videatur condidisse, quibus rerum gestarum commemorationem paucis verbis immiscuerit. Quam vere igitur de hoc dixerit Thuc. I, 97 eum βραχέως res narrasse coniicimus opere, quod inscriptum erat „Atthides", quo Athenarum historiam ab antiquissimis temporibus usque ad annum CCCCVI (cf. fragm. 80) qua-

non poterimus non cum Demetrio sentire, qui logographorum dictionem εἰς κῶλα λελυμένην οὐ μάλα ἀλλήλοις συνηρτημένα eamque λίθοις διεῤῥιμμένοις μόνον καὶ οὐ συγκειμένοις simillimam esse contendit [1]). Exemplum, quod affert iam p. 16 citavimus, aliud leges Pherecydis fragment. 26.

Opus esse videtur, ut sententia nostra, quam supra protulimus, nisi, omnibus logographis prorsus idem dicendi genus fuisse negemus. Alio modo illos scripsisse, qui veterum carmina secuti fabulas connexerint, alio illos, qui suae aetatis res gestas descripserint, quis est quin sentiat? De illis illud Strabonis (I p. 18) dictum esse videtur, de his ea, quae Ciceronis, Dionysii Demetrii proposuimus iudicia. Ut paucis rem describamus, quo magis sui iuris esse historia contendit, eo ieiunior breviorque fuit elocutio, quoniam repudiato poetico colore ornatuque novam sibi viam eamque perdifficilem aperire atque munire cogebatur.

Iam ut sententia nostra de logographis feratur necesse est. Invideant igitur docti critici scriptoribus illis iustam laudem, denegent iis historicorum nobilissimum nomen, sed liberrime fateantur fundamenta, sine quibus historiae insignis aedes stare non potuisset, ab illis condita adlataque esse. Exceperunt autem logographi cyclicos poetas, qui cum res gestas poetarum modo memoriae tradere vellent, poesis legibus plerumque minus

---

tuor tantum libris deduxerit immo saepius ad aliorum quoque populorum res respexisse videatur (cf. eius fragm. 67 et 77 et Ephori fragm. 18 et 19.)

1) Demetrius de elocutione §. 12 et §. 13 ed. Goeller.

satisfaciebant, a recta historiae conscribendae via plane abhorrebant. Itaque logographis laudi tribuendum semper erit, quod hanc viam non modo invenerunt, sed etiam aliquantisper muniverunt. Arti criticae primi se applicuerunt, temporum rationem constituere quamvis sine laude fructuque conati sunt, prosae orationis usum pro viribus coluerunt. At harum iustae historiae partium nullam ita tractaverunt, ut scriptorem agnoscas vere historicum. Libenter sane illi, qui haec nobis obiiciat, subscribemus. Sed in rerum natura situm esse contendimus, ut praeclarum vel nobile aliquid non statim perfectum in lucem veniat. Num sol excipit noctem, num iuventus statim sequitur infantis infirmitatem? An neges si auroram aspicias, lucem te videre? Prorsus vero lucem cognosces nuntiumque clarioris lucis eam salutabis. Itaque logographis suus sit honos, quod ipsorum opera talem nobis promittunt virum, qualem cunctis suffragiis scriptorem historicum appellare possimus.

In logographorum numero nonnullos fuisse, qui propius ad iustam historiam accesserint, supra fusius exposuimus. Quorum aetas in id incidit tempus, quo Graeci, victis Asiae Africaeque — sit venia verbo — gregibus aeternam sibi compararunt gloriam. In campo Marathonio, in sinu illo, qui insulam Salamina ambit, vis illa fracta est, quae interitum omni Graeciae minitata erat. Paucae urbes modicis instructae copiis, reges illos fuderunt, quibus duae orbis partes resistere non potuerant. Numquid unquam praeclarius gestum est? Quid? Nonne sponte intelligitur a tanta victoria summum fortunae fastigium proficisceretur necesse fuisse? Libertate servata ea frui saeculum erat. Effloruerunt res publicae, prae-

clarissimis viris ducentibus, splendidis aedificiis templisque enituerunt urbes, illa denique Graecia, quam adhuc a pueris miramur, iuvenili animo praedita exstitit. In omnium autem ore res illae contra Persas praeclare gestae erant iisque vel canendis vel pingendis iterum atque iterum poetae atque pictores operam dabant. Qua in iuçundissima libertatis et gloriae luce omnes Graecorum res, omnes artes atque litterae mirifice effloruerunt neque postremum locum tenet ars historica. Num igitur miremur, quod hac demum aetate scriptor exstiterit vere historicus, qui logographorum quidem vestigiis ingrediens atque, ut ita dicam, eorum humeris nitens eos tantopere superaverit, ut iam a veteribus iure sit appellatus „**pater historiae**“?

Primordiis artis historicae apud Graecos iam tractatis ad

Romanos

disputatio se vertat. Sed priusquam ipsum propositum adeamus de indole ingenioque Romanorum breviter disputemus necesse est.

Roma igitur urbs condita est ea aetate, qua apud omnes alias gentes, quibuscum Romani congredi poterant, prima quidem iustioris historiae initia iam erant facta. Graeci enim, qui multis coloniis Italiae inferioris oras incolebant, Carthaginienses, Etrusci ex mythica et fabulosa aetate progressi, rebus cum historiae fide tradendis operam iam adverterant. Sed cum constet populos, qui frequenti utantur inter se commercio, alios ab aliis erudiri, fieri non potuit, quin Romani celerius ad eum, in quo affines erant, culturae gradum proveherentur. Accedit quod inde a Romae urbis initio incolae gra-

vissimis et acerrimis bellis de vita certaverunt, cum omnes, qui adiacebant, novam civitatem evertere studerent. Itaque Romani undique defatigati celerius ad severiorem mentis et rationis conditionem pervenirent necesse erat, quam si omni vitae dulcedine adiuti serenam et securam quandam iuventutem peregissent. Quibus ex rebus apparet, eas ingenii facultates, e quibus potissimum poesis gignatur, apud priscos Romanos valere non potuisse. Quod enim singulis hominibus accidit, ut prima iam aetate in periculis severaque vitae conditione versati celerius ad subtiliorem eamque ieiuniorem rerum cognitionem adducantur, idem in universis populis animadverti potest. Sed in his rebus, quamvis non nihil iis sit tribuendum, tamen non omnes insunt causae, quibus factum est, ut prima Romanorum aetate poesis non viguerit. Romani enim exigua tantummodo poetica indole praediti, mentis et rationis magis compotes, iis potissimum rebus studebant, quae usui essent civitati. In hac administranda floruisse et quoscunque vel armis vel litteris perceperint fructus, eos omnes ad augendam et amplificandam rem publicam convertisse praeclarissimum apud eos sapientiae munus summumque virtutis et officium et documentum habebatur[1]. Disertis verbis hoc exprimit Cicero[2]: „Neque enim," ait, hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, — sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur." Itaque virtutes ad bella gerenda et

1) Cic. de rep. I, 20.

2) de rep. I, 4.

rei publicae munera suscipienda maxime necessariae: fortitudo, constantia, gravitas, frugalitas summa fruebantur laude, quaecunque ad civitatis usum minus spectarent parvi aestimabantur. Qua de causa Romani per multa saecula Graecis libere summam concedebant artium et litterarum gloriam, sibi ipsis reipublicae optime administrandae cognitionem tribuebant. Itaque Cicero: „Graecia, inquit, nos arte et omni litterarum genere superabat, sed mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur et lautius.[1])

Qua potissimum ingenii indole factum est, ut ne Ciceronis quidem aetate litterae et praecipue poesis magni haberentur a Romanis; immo Cicero ipse, quamquam acerrimus litterarum fautor, poesin ad „leviorum artium studium“ revocat et ubicunque litteras Romanis commendare studet, earum utilitatem respicit [2]). Sed ante huius aetatem poesis prorsus contemnebatur et civis Romani gravitate et virtute indigna habebatur. Cuius

---

1) Cic. Tusc. I, 1. 2.— Egregie in hanc sententiam dicit Verg. Aen. VI, v. 848.

Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus
Orabunt causas melius, coelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent;
Tu regere imperio populos, Romane, memento!
Hae tibi erunt artes pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.

cf. etiam Propert. IV, 21. 22; Plin. H. N. XXV, 2 et, qui nimium hoc utilitatis studium vituperat, Hor. Ars poet. 323 sqq. Ep. I, 1. 53. II, 1. 103.

2) cf. Brut. 1, 3. 18, 70; de fin. bon. et mal. II, 33.

rei testimonium e Catonis libro, qui inscriptus erat „de moribus“ depromptum legimus apud Gellium[1]: „Poeticae artis honos non erat; si qui in ea re studebat aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.“ Antiquissimis autem temporibus poetarum nomen in honore non fuisse Ciceronis sententia eo quoque conspicitur, quod ne Catonis quidem tempore opprobrium ab eo cesserit. Cuius verba sunt haec[2]: „Honorem huic generi (poetico, carminum convivalium) non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiicit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxerit.“ Sed quid testimoniis opus est, cum eo quoque tempore, quo praeclarissimi exstiterunt poetae populum Romanum ludis gladiatoriis, ursorum vel pugilum certaminibus magis delectatum esse constet, quam poetarum operibus.[3])

Quibus omnibus consideratis non iam miremur, quod apud Romanos non, ut apud Graecos invenimus continua quaedam carmina epica, quibus omnis primorum temporum memoria ita sit tradita, ut ex iis artis historicae initia gigni et prodire possent. His vero repugnat sententia viri doctissimi et de historiae cognitione quam maxime meriti, Niebuhrii, qui quinto urbis saeculo epica maioris amplitudinis poemata fuisse contendit, e quibus in orationem pedestrem soluta sit, quae apud nos appellatur regum historia. Quae viri amplissimi sententia non prorsus hoc loco praetereunda videtur. Atque pri-

---

1) N. A. XI, 2. 5 ed. M. Hertz.

2) Tusc. IV, 2.

3) Terent. Hecyr. proleg. v. 4; alter proleg. 26, 31; Hor. ep. II, 1. 185; Cic. Cat. Maior IV, 12.

mum quidem quae ad eam probandam Niebuhrius demonstrare studet, floruisse et fabulas de Troiae excidio et alias non a Graecis ad Romanos perductas, sed apud hos ipsos procreatas optime reiecit Ulricius[1]. Idem locis ex Dionysio, Cicerone, Nonio desumptis minime Niebuhrii sententiam confirmari et recta adhibita explicatione et addito alio Ciceronis loco[2] demonstravit. Quae vero pag. 102 sqq. ab Ulricio afferuntur, quibus explicetur unde res inter se repugnantes et fabulae in priscam Romanorum historiam fluxerint, quamvis non omni careant momento, aliqua ex parte restringenda videntur. Nimium enim vir doctissimus tribuit incendio illi Romae per Gallos facto, quo perdita sint scripta, quae apud Romanos exstabant monumenta. Quamquam enim Livius (VI, 1) dicit ea pleraque interiisse, tamen hanc vocem „pleraque“ non urgendam esse alio eiusdem scriptoris loco cognoscimus, qui urbe refecta „foedera et leges“ i. e. monumenta publica conquisita esse contendat[3]. Accedit quod ante adventum Gallorum permulti cives et sacerdotes, cum Veios et Caere fugerent, sacra secum in has urbes portaverant[4]. In Capitolio vero, quod a Gallis captum non est, multa monumenta publica aut servata aut eo deportata esse et per se verisimile est et Plutarchi testimonio firmatur[5].

Quibus omnibus argumenta ab Ulricio allata pau-

---

1) Charakteristik der antiken Historiographie p. 90—96.

2) Thuc. 1. 2. quem locum Niebuhrius omiserat.

3) Liv. VI, 1.

4) Liv. V, 40.

5) Vit. Camilli p. 20 et 21.

lulum infringi vel diminui apparet. Sed iam alium invenimus fontem, ex quo multae fabulae in historiam Romanam fluxerint, in ipsis illis libris sacris situm, quos magna ex parte servatos esse contendimus. Nam in iis inerant ritus et instituta antiqua eorumque causae, origines, quas ad deos ipsos referebant auctores, carmina solemnia, prodigia, vaticinationes, alia eiusmodi. Quos libros primi annalium scriptores genuinum habebant fontem [1]). Percenseas omnes priscae historiae Romanae fabulas et plurimas ad religiosum illum (sit venia verbo!) fontem referri posse reperies [2]). Referti enim erant illi libri superstitiosis narrationibus, quibus sacerdotes aut plebem obstringere voluerunt aut ipsi obstricti tenebantur. Ceterum argumentis, quibus Ulricius Niebuhrii sententiam refutavit addi potest, quod vix ullum reperitur tempus, quo ab epicorum carminum impetu animus magis abhorret, quam illud, quod Niebuhrius oriendis illis carminibus tribuit. Nam post cladem Gallicam res bellica miserrime iacebat, domi omnia miseriarum plena erant, plebis nexu et aere alieno oppressae acerrimae et continuae de imperio cum patriciis contentiones vigebant; quibus paululum sedatis decertandum erat Romanis de Italiae dominatione, immo de ipsorum libertate cum fortissimis et bellicosissimis Italiae populis. Talibus autem temporibus cum miserrimis, tum iis, quibus populi in summas res intenti omnibus viribus ni-

---

1) Dion. Hal. A. R. p. 184 παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψεν. —
2) cf. Liv. I, 16. 19. 36. 39. 55....

tantur, ut certum assequantur finem, minime epica enasci solent carmina [1]). Plebei vero, quorum praecipue carmina illa fuisse Niebuhrius contendit, quid tandem e priori tempore celebrare poterant carminibus? Quid? Si superbiam crudelitatemque patriciorum canere voluissent, nonne de ipsorum quoque vinculis, sordibus, miseriis memorarent necesse erat? Deinde si carmen continuum exstitisset, nonne aliqua quidem eius vestigia invenirentur? Sed ante Naevium et Ennium nihil eiusmodi fuisse et magno, quo afficiebantur hi poetae honore et nominibus, quibus Ennius appellabatur „pater et alter Homerus“ significatur. Quodsi prisca illa carmina, quae tueri Niebuhrius quam maxime studet, exstitissent, non minus eorum vestigia in Ennii annalibus deprehenderes, quam Homeri et Naevii [3]). Grammaticorum autem studium eadem alacritate atque industria ad illa se convertisset, qua ad carminum Saliarium interpretationem. Sed disputandi finem faciamus, quoniam omnia, quae contra sententiam Niebuhrianam afferri possunt ne paucis quidem hoc loco adumbrare licet.

Itaque Romanorum indole, temporibus illis, testimoniis veterum perpensis concedamus necesse est, apud Romanos non viguisse maiora carmina epica, quibus historia niti potuisset.

Quaerentibus autem nobis, quae tandem res apud Romanos fuerit, e qua originem ducere potuerit historiarum scribendarum ars, occurrunt primum quidem an-

---

1) Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν.

2) Hor. Ep. I, 19. 7. II, 1, 50. Lucretius I, 111.

3) Cic. de fin. bon. et mal. I, 3; Brut. 18.

nales maximi. Maximi appellati sunt hi annales a pontificibus maximis, quorum erat memoriam rerum gestarum in tabulas conferre[1]).

Quas tabulas vetustissimis iam temporibus exstitisse et per se verisimillimum est, quoniam apud omnes populos, qui certos sacerdotum ordines habent, omnium rerum gestarum memoriam primi colere solent sacerdotes, et testimoniis veterum comprobatur. In quibus Cicero[2]): „Erat — ait — historia nihil aliud, nisi annalium confectio, cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab *initio* rerum Romanarum... res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi." Similiter Quintilianus „nihil in historia supra pontificum annales esse" testatur[3]). Sed alii quoque sacerdotum libri, propositum suum egressi, res gestas memoriae tradendas curaverunt. Cuius generis commemorantur: libri s. commentarii pontificum, libri sacrorum, libri augurales, l. sacri, l. sacerdotum, l. ceremoniarum, alii. Quos omnes (quamquam fortasse non tot singula fuerunt scripta, quot enumerantur tituli) praeter sacrorum praescripta alia quoque facta memoratu digna continuisse eo iam coniici licet, quod Romanorum res publica cum deorum sacris coniunctissima religioso, ut ita dicam, fundamento nitebatur. Cuius rei exemplum afferre liceat; Cicero illis libris nisus provocationem iam regum tempore fuisse

1) Macrob. Sat. III, cp. 2.

2) de orat. II, 12.

3) Inst. orat. X, 2. §. 7. — cf. etiam Cic. de leg. I, 2. Gell. N. A. IV, 5. Liv. I, 32.

demonstrat[1]). „Provocationem — ait — etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant etiam nostri augurales.“ Neque minus illa, quae alio loco apud eundem scriptorem leguntur, huic nostrae sententiae favent[2]): „Possumus disertum suspicari Tiberium Corruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur.“ Quare Cicero pontificum libros eiusdem momenti esse contendit ad cognoscenda antiquissima tempora ac XII tabulae iusque civile: „Plurima — ait[3]) — est in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et actionum quaedam genera maiorum consuetudinem vitamque declarant commentarii sacrorum.“ Deinde afferuntur commentarii regum[4]), praesertim Numae[5]), tabulae ligneae (ob formam et linteum, quo circumdabantur „thoraces lintei“ appellati)[6]), columnae[7]), in quibus leges regum, foedera, bella feliciter gesta, aliaque inscripta erant.

---

1) De rep. II, 31.

2) Brut. 14, 55.

3) De orat. I, 43.— cf. etiam Dion. Hal. A. R. p. 1639 et 1983; Senecae ep. 108; Gell. N. A. XIII, 22; Tac. Ann. III, 58.

4) Liv. I, 32, 60.

5) Liv. I, 31.

6) Liv. IV, 20. 32.

7) A Dion. A. R. p. 353 et 509 στῆλαι afferuntur et tamen p. 519 legimus: „χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵτε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί. Nisi igitur Dion. sibi ipsi repugnat illae columnae fuerint ligneae necesse est et eaedem quidem, quae hoc loco δρυΐναι σανίδες vocantur.

Praeter haec, quibus publice rerum gestarum memoria servabatur, privatim quoque res a maioribus praeclare gestae et laudationibus funebribus et stemmatibus, quibus brevia rerum gestarum elogia adiiciebantur et commentariis privatis celebrabantur. Quem usum multa veterum scriptorum testimonia comprobant [1]). Quibus omnibus apparet, magnum apud Romanos fuisse memoriae conservandae studium atque primis iam civitatis temporibus optime cautum esse, ne res memoria dignae temporum iniquitate oblitterarentur. Sed viva quoque voce et carminibus maiorum gloria propagabatur. Quantum autem detrimentum fides historica illis carminibus capere soleat. et ingenii humani conditione et exemplo Graecorum satis declaratur. Apud Romanos vero manca fingendi facultas atque librorum eodem tempore conditorum testimonia prohibuerunt, quominus antiquissimorum temporum memoria mythis fabulisque, quibus poetae indulgent, obrueretur. Fuisse autem illa carmina, quamquam minora, quam quae Niebuhrius statuit, ex multis cognoscimus testimoniis. Illorum alia vocabantur „naeniae", „quae in funere laudandi gratia cantabantur ad tibiam." [2]) De his in XII tabulis scriptum affert Cicero [3]): „Honoratorum virorum laudes in contione memorentur, eosque etiam cantus ad tibicinem prosequatur; cui nomen naeniae." Alia quibus laudes maiorum celebrabantur carmina cum ad epulas adhiberentur „con-

---

1) Cic. Brut. 16; Gell. N. A. XIII, 19; Dion. A R. p. 190; Plut. Numa prooem.

2) Festus v. naenia.

3) De leg. II, 24.

vivalia" appellabantur. De his Cicero[1]): „Atque utinam — ait— exstarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato!" Idem in Tusc. quaest. l. IV, 2 qui canendi in epulis fuerit modus his explicat verbis: „Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui occubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes, ex quo perspicuum est et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis et carmina. Quamquam id quidem etiam XII tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen." [2])

Quae carmina alium nobis ostendunt fontem, ex quo nonnullae in veterem Romanorum historiam fluxerint fabulae. Quem fontem si iis, de quibus supra disputavimus, adnumeramus atque huic summae adiicimus nonnulla quoque ex Graecorum mythis atque narrationibus in historiam Romanam irrepsisse[3]): de ea historiae Romanae parte, quae mythicam redolet aetatem iudicium facile ferre possumus. Apparebit igitur ingenio Romanorum magnoque et librorum et monumentorum numero factum esse, ut aetas prorsus mythica et poetica apud Romanos non exstiterit. Qua eadem monumentorum, quibus res gestae consignabantur, copia effectum est, ut

1) Brut. cp. 19.

2) Tusc. quaest. I 2; de orat. 3. 51. 197. Quint. I. O. I, 10. 20. Non incpte Bernhardyus Horat. Od. XII, lib. I illa carmina convivalia imitatum esse putat.

3) cf. quae apud Livium de proeliis cum Tarquiniis, de Gabiis atque Veiis obsessis narrantur, quae ubique Graecum spirant fontem.

tam sero historiae conscribendae desiderium inter Romanos exsisteret. Quinto enim demum U. C. saeculo, cum, tota Italia Romanorum potestati subiecta; imperii omnium gentium constituendi consilium caperent Romani, artis historicae initia in lucem prodierunt. Qua aetate, ut Licinii verbis utar, [1] ...„Musa pinnato gradu intulit se bellicosam in Romuli gentem feram."

Quae igitur ante bella Punica exstiterunt rerum gestarum monumenta multa quidem fuisse iam intelleximus. Neque tamen haec omnia historiae nomine digna, sed nihil nisi eius fontes sunt habenda. Continebant enim quam brevissime [2]) rerum et memorabilium et levium [3]) quodammodo farraginem annorum serie connexam.

Ex his igitur, quae nominavimus monumentis initia artis historicae apud Romanos prodierunt. Horum enim scribendi consuetudinem multos secutos esse Cicero dicit loco supra laudato (de orat. II, 12). Et re vera multi fuerunt; a secundo enim bello Punico, ubi primi historiarum scriptores exstiterunt, usque ad Caesaris aetatem, qua magis florere coepit vera ars historica, sexcenti rebus scribendis operam dederunt. Qua ex re apparet quantopere apud Romanos viguerit historiae studium, cui nobilissimus quisque tempus et operam dedit [4]).

---

1) Gell. XVII, 21. —

2) Cic. de leg. I, 2 annales pont. max. quibus nihil potest esse ieiunius (iis enim assentior, qui pro iucundius legunt ieiunius).

3) cf. v. Cat. apud Gell. II, 28: Non lubet scribere, quod in tabula apud pont. max. est, quoticns annona cara, quoticns lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit.

4) cf. Sueton. de clar. rhetor. cp. 3.

Singulos igitur omnes accurate percensere cum fines huius commentationis longe excedat, eos tantum afferemus atque examinabimus, qui primarios obtinent locos eosque eodem tractabimus modo, quo Graecos historicos. Antiquissimus igitur omnium consensu historiarum scriptor est Q. Fabius Pictor, qui belli Punici secundi aetate historiam Romanam ab U. C. usque ad pugnam ad Trasimenum commissam Graeca lingua deduxit. Eadem lingua Fabii aequales L. Cincius Alimentus[1]) et C. Acilius Glabrio et paullo aetate inferior P. Albinus res ab antiquissimis temporibus ad suam usque aetatem gestas scripserunt, quorum primus quam maxime antiquitati investigandae operam adhibuisse traditur. Huc etiam referendi sunt Cn. Naevius et Ennius, poetae illi quidem, sed summo iure iam a Vossio historicis adnumerati[2]), quorum ille, breviter tractata antiquorum temporum historia, bellum Punicum secundum, hic annalium libros XVIII scripsit. Primus latina lingua eaque numeris soluta ad historiam scribendam usus est M. Porcius Cato, qui libris VII non solum populi Romani res gestas usque ad suam aetatem exposuit, sed etiam unde quaeque civitas Italica orta sit, quam ob rem hoc opus Originum nomine appellabatur. Catonem excepit ille Fabius Pictor, qui lingua latina usus est[3]), cuius aequales erant M. Fulvius Nobilior et C. Cassius Hemina, quorum ille

1) Quibus argumentis Mommsenii sententia, historias Cincii suppositas esse, nitatur, adhuc ignoro (Röm. Gesch. I, 923).

2) Cuius rei argumenta (tituli operum, fides quae iis habebatur, testimonia veterum, alia) ab Ulricio afferuntur l. l. pag. 88 sq.

3) Quod cum ex aliis tum e Ciceronis de orat. l. II, cp. 12 coniici licet.

in libro „fasti“ inscripto praecipue chronologiae operam dedisse videtur, hic quatuor historiarum libris Romanorum res gestas inde ab Aeneae tempore usque ad suam ipsius aetatem descripsit. Deinde nominandus est L. Calpurnius Piso, ob virtutem et frugalitatem „Frugi“ appellatus, qui septem annalium libris copiose de Romanorum rebus egisse et eas usque ad Carthaginis eversionem narrasse videtur. Pisone paullo aetate inferior scripsit Cn. Gellius et fusius is quidem, quam omnes, quos iam nominavimus; laudatur enim liber nonagesimus septimus et in secundo demum de Sabinis virginibus raptis eum egisse fragmenta docent. Perpauca quoque nobis servata sunt fragmenta e Sempronii Tuditani opere, quod inscriptum erat „Commentarii,“ quorum XIIImum librum laudant Plinius (H. N. XIII, 3) et Gellius (XIII, 15). Hunc memoratu dignissimum esse Dionysius nos docet [1]), qui eum et Catonem inter doctissimos rerum Romanarum scriptores numeret. Post Tuditanum, omissis C. Fannio, Venonio, L. Accio, de quibus nihil admodum certi constat, ad Coelium Antipatrum pervenimus, qui eo artem historicam provexit, quod praecipue suae ipsius aetatis res gestas conscripsit; qua in re secutus eum est Sempronius Asellio, qui praetor anno LXXXIX a. C. interfectus est. [2])

Sed cum aetatis gloria oculi magis ad tempora praesentia converterentur, fieri non potuit, quin celeberrimus quisque res a se ipso gestas litteris mandare cuperet. Quod primus fecit M. Aemilius Scaurus, consul anni CXV,

---

1) A. R. I, 11.
2) Gell. N. A. II, 13.

quem P. Rutilius Rufus, C. Lutatius Catulus, L. Lucullus, L. Corn. Sulla secuti sunt.

Alii tamen illius aetatis viri maiores historiae partes tractarunt; inter quos Claudius Quadrigarius XXIII libris inde a Gallico urbis incendio usque ad Sullae tempus res gestas narravit, idque eo copiosius, quo propius ad suam aetatem accessit; prioribus enim XII libris CCC annorum, reliquis XI libris XX tantum annorum res gestas eum consignasse fragmenta docent. Totam Romanorum historiam amplexus est Valerius Antias, et copiose quidem, quippe cuius LXXV libri laudentur. Ex magno eorum numero, qui Valerium exceperunt, duos tantum nominamus, L. Corn. Sisennam et L. Pomp. Atticum, quorum ille bellum sociorum et bellum civile Sullanum libris XXIII scripsit, hic [1]) „uno volumine leges, paces, bella, omnes denique res illustres populi Romani suo quasque tempore notavit," aliis iisque pluribus eodem modo singularum familiarum historiam a primo origine usque ad suam aetatem prosecutus est.

Qua ex ieiuna quidem enumeratione, cui tamen permulti rerum scriptores inserti non sunt, intelligimus artis historicae studium Romae quam maxime viguisse neque ulli tempori scriptores defuisse. Quorum tamen librorum exigua exstant fragmenta, qua ex re coniici licet, eos serioris aetatis operibus posthabitos esse. Ut autem intelligamus, quae horum scriptorum ingenia fuerint, quemque artis historicae locum obtinuerint, accuratius investigemus necesse erit, qua fide digni quaque arte et elocutione usi sint.

---

1) cf. Corn. Nepos: Atticus cp. 18.

Iam de fide atque auctoritate scriptorum illorum disputaturi praemittamus necesse est, eos inter se non plane similes esse, sed alium ab alio superari. Nihilominus de omnibus unum atque idem iudicium ferri potest, id quod iam veteres sentiebant critici, qui Cicerone auctore (de orat. II, 12) eos eodem modo, quo Graecorum logographos comprehendere solebant.

Oritur igitur quaestio, num veritatem sequi illi scriptores voluerint. Quam quaestionem rite solvere non possumus, quoniam de singulorum vitis atque moribus perpauca eaque dubia tradita habemus. Sed cum illi scriptores (exceptis Ennio et Naevio poetis) in Romanorum civitate primos obtinerent locos summisque afficerentur honoribus, nulla est causa, cur eorum ingenia veritati indulsisse negemus. Fuerunt enim Romani veritatis quam maxime studiosi, id quod ex eo colligas, quod animum mendacem atque fraudulosum Poenis summo tribuebant opprobrio. Quod veritatis studium plus semel patriae amore corruptum esse libenter fatemur; hanc enim ob causam veritatem paullulum immutasse nemini apud antiquos vitio habebatur. Quo factum est, ut plurimi fere Romanorum scriptores, qui res populi sui litteris mandaverunt, saepissime cum de factis tum de hostium caesorum numero praedaeque partae magnitudine suspectae sint fidei. Quod vitium praecipue admissum esse in antiquissima rerum gestarum historia ex eo apparet, quod in hac fontibus impuris uterentur necesse erat. Cuius rei exempla apud illos, de quibus agimus scriptores, multa inveniuntur. Unum afferam. Coelius Antipater „certus Romanae historiae auctor“ a

Valerio Maximo[1]), non immerito ut videtur, vocatus, numerum militum, quos P. Scipio ex Sicilia in Africam traiecerat poetarum more, exaggeravit. Legimus enim apud Livium[2]): „Coelius, ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget. Volucres ad terram delapsas clamore militum ait, tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur." Alii loci, quibus illorum scriptorum narrationi fides denegatur in Livii et Dionysii Hal. historiis facile occurrunt; nemo autem saepius fere et gravius reprehenditur aut levitatis mendaciique arguitur, quam Valerius Antias. Haud raro quoque patriae nimius amor Romanorum scriptores permovit, ut hostium virtutes ignorarent vel reticerent. Cuius rei exemplum praebet locus ille Livii, qui de Hannibalis moribus agit, ex quo apparet, belli Punici secundi scriptores praestantissimo illi duci non ubique iustos se praebuisse iudices.

Sequitur ut diiudicemus, utrum fidem praestare potuerint scriptores illi necne. Iam supra dictum est, rerum gestarum monumenta inde ab antiquissimis temporibus Romae condita atque culta fuisse, quo factum est, ut scriptoribus larga scribendi materia praesto esset. At haec rerum gestarum monumenta, cum fabulis mythisque referta essent, artem criticam atque animum ab omni superstitione liberum desiderabant, ut iusta historia haberet locum suum. Quae illi viri iis non ubique adhibuerunt, cum neque eo animi acumine, sine quo hi-

1) l. I. cp. 7.
2) l. XXIX, cp. 25.

storia iusta conscribi nequit, praediti essent et superstitione nimis obstringerentur. Quo factum est, ut litteris traderent quaecunque aut ipsi verisimilia habebant, aut emendare non audebant, quamvis in colligendis investigandisque antiquitatis rebus gestis, moribus, institutis labori non parcerent. Cuius rei testimonia sunt laudes, quae studio et diligentiae eorum a veteribus tribuuntur; „diligentes“ enim saepe vocantur atque imprimis de Catone exstant insignia Dionysii verba, quae ut hoc loco inseramus sit venia[1]: *Οἱ δὲ λογιώτατοι* — ait — *τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πορκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγὼν καὶ Γάιος Σεμπρόνιος καὶ ἄλλοι συχνοὶ λέγουσι κ. τ. λ.* et alio loco [2]) de Catone dicit: *Ἐπιμελὴς δὲ γενόμενος, εἴ καί τις ἄλλος εἰς τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας κ. τ. λ.* Nec tamen eandem ab omnibus curam atque diligentiam adhibitam esse, non est quod moneamus. Sic Dionysius Hal. [3]) de morte Servii Tulli dicturus Fabii negligentiam in temporum computatione redarguit neque serioris aetatis historici alium alii anteferre dubitant. Saepe enim illos scriptores inter se discrepasse a Livio et Dionysio docemur. Qua ex re iam apparet artem criticam non omnino ab illorum operibus afuisse; immo haud raro eius vestigia reperimus. Quae cum ita sint non alienum videtur nonnulla accuratius hoc loco investigare. Reperiuntur autem illa artis criticae initia iis

---

1) cf. A. R. p. 29; Cic. Cato M. VII, 21; XI, 38.

2) A. R p. 187 et 217.

3) A. R. p. 717.

potissimum locis, quibus, ut iam diximus, inter se dissensisse dicuntur scriptores. Nam si de una eademque re multi ferebantur nuntii, scriptores litteris eam mandaturi rationem adhiberent causisque innixi hunc vel illum praeferrent necesse erat nuntium. Quod pro ingenii diversitate ita praestabant, ut alii inconsiderate, quaecunque perceperant, operibus insererent atque fabulas propagarent, alii arte quadam instructi causis indagatis ad verisimiliora propius accederent[1]. In universum quidem dicendum est, haec criticae rationis initia humilia et imbecilla fuisse atque haud raro scriptores fabulas fabulis diluisse aut causas et origines indagandi studio lapsos nova eaque inepta finxisse. Quo factum est, ut non iniuste Dioysius diceret[2]: *Ταῦτα δὲ τὰ ἄτοπα συνιδόντες τῶν Ῥωμαικῶν συγγραφέων τινὲς ἑτέραις αὐτὰ λύειν ἐπειράθησαν ἀτοπίαις*" et Livius illos scriptores respiciens fateretur hoc: „Ego praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant fere scribentium animi..." (XXII, 7.) Neque tamen iustae in rebus antiquis investigandis artis criticae exempla omnino desunt, quorum unum, quod quidem aptum mihi videtur, afferam. Tarpeiam auro Sabinorum corruptam Capitolium hostibus prodidisse Fabius et Cincius tradiderant. Quorum narrationem Piso amplexus non est, quod Romani Tarpeiam sepulcri honore dignam habuissent eique quotannis inferias face-

---

1) cf. Dionys. A. R. p. 200 et 217: *οἱ μὲν ἐπὶ τὸ μυθωδέστερον οἱ δ' ἐπί τι τῇ ἀληθείᾳ ἐοικὸς μᾶλλον ἀποφαίνουσιν.— Ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν...—*

2) A. R. p. 652.

rent [1]). Recte igitur mea quidem sententia Piso rebus illa aetate gestis ad antiquitatem investigandam adhibitis Tarpeiam consilio Capitolium prodidisse negavit. Sed quamquam hoc aliisque exemplis edocemur scriptores illos haud raro a fabulis recessisse et, quae fide digniora essent, litteris mandare studuisse: tamen non ubique id factum esse satis constat. Quid igitur? Num credibile est, eos inconsulte ac temere alias fabulas integras recepisse, alias immutasse? Quod quidem de gravissimis et praestantissimis illis viris neminem concessurum esse puto. Sed cum certas, quas in fabulis reiiciendis vel recipiendis adhibuerint causas, proponere non audeam, coniecturae indulgere hoc loco mihi liceat. Puto igitur ad illas potissimum fabulas artem criticam adhibitam esse, quae ad deorum sacra atque instituta minus respicientes annalibus maximis, libris sacris ceterisque historicis monumentis non traditae, a maioribus sola fama acceptae fuerint atque propagatae. Qua ratione adhibita fortasse ex parvis veterum illorum scriptorum fragmentis non nihil ad investiganda illius aetatis ingenia et mores lucramur.

Denique sententiam nostram afferre liceat hanc. Illi Romanorum scriptorum, de quibus haec est disputatio, veritatis studio dediti, fontibus et monumentis instructi et suae aetatis indole, quae sacerdotum narratiunculis sine dubio se applicabat, et sui ipsius ingenii inopia

1) Dion. A. R. p. 321; cf. etiam p. 646 et 653 ubi Piso temporum ratione habita contendit Tarquinium Priscum non filios reliquisse, sed nepotes, quamquam Fabius et reliqui omnes Romanorum scriptores alia tradiderant.

prohibebantur, quin iustam ingrederentur viam, quae si non statim at certe sensim ad sanam historiaque dignam artem criticam perducat.

De arte autem, qua scriptores illi res vel elegerint vel disposuerint disputatio difficillima est, cum perpauca operum fragmenta adhuc exstent, quibus nullo modo niti possumus. Neque veterum scriptorum testimonia auxilio nobis sunt, nisi forte verba Ciceronis, quibus C. Antipatrum historiam varietate locorum non distinxisse profert, in omnes huius generis historicos transferre vis. Quae cum ita sint, quod de hac re non concinne disputaverimus, detur nobis venia. Illos igitur res per singulos annos digessisse cum eo, quod annales a pontifice maximo concriptos imitabantur, tum nominibus, quibus ipsi laudantur, coniicimus. Vocantur enim plerumque „annalium scriptores" et Dionysius apertis verbis dicit: „εἰσὶ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι." [1])

Quacum Dionysii sententia si coniungas locum illum Ciceronis saepius iam laudatum [2]), de nostra sententia prorsus dubitari non potest. Sed eos non ieiuno illo annalium maximorum more quaecunque evenerant sine ullo causarum connexu litteris consignavisse, fragmentum Sempronii Asellionis docet, quod argumenti causa habeat locum [3]): „Nobis non modo satis esse video, quod

---

1) A. R. p. 21.

2) Cic. de orat. II, 12 (res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus... Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt..)

3) Gell. N. A. V, 18.

factum esset id pronuntiare, sed etiam, quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare. Scribere autem bellum quo initum consule et quomodo confectum sit, non praedicare autem interea, quid senatus decreverit aut quae lex rogatiove lata sit neque quibus consiliis ea gesta sint: id fabulas pueris est narrare, non historias scribere."

Neque indiscreta omnia annorum serie eos connexisse, ut in illis pontificum annalibus, cum per se probabile est, tum verbis Catonis comprobatur [1]): „Non lubet — ait — scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit."

Num vero consilium („ideam") habuerint, quo praecipue ducti alias res omiserint, alias memoriae prodiderint, alias copiosius tractaverint, alias tantum attigerint, non iam discernere possumus. Sed cum omnino apud antiquos sententia valeret, historiam vitae et virtutum esse debere magistram, hoc consilium antiquissimos quoque Romanorum scriptores in rebus eligendis praecipue secutos esse iure suspicamur, praesertim cum nobiles illi viri virtutes vere Romanas sua iam aetate paulatim delapsas et Graecorum levitate et luxuria oppressas sentirent. Cuius rei ut exempla afferamus, L. Calp. Pisonis fragmenta investigemus. Ubique enim ille vir ob morum integritatem et frugalitatem cognomine „Frugi" ornatus, aequalibus suis luculentissima virtutis humanae exempla proponere studet. Hoc consilio factum esse

---

1) Gell. N. A. II, 28, 6.

arbitror, ut de Romuli vita atque moribus scripserit,[1]) ut tranquillitatem securitatemque, quam civitas temporibus vel tristissimis servasset, exposuerit, ut quanti maiores agriculturam fecissent quantamque in ea consumpsissent operam, ostenderit [2]). Omnium autem malorum, quibus aetas sua premeretur, causam primariam cum duceret luxuriam, quo tempore et unde ea in Italiam primum invecta esset, prodidit, eamque reprimere studuit.[3]) Simul cum luxuria ambitionem, quippe quae cum illa arte coniuncta sit, acerrime impugnavit exemplisque docuit, quanta cura maiores eam repellere studuissent.[4]) Eodem consilio res memoriae tradendas ab aliis eiusdem generis scriptoribus electas esse pluribus exemplis demonstrare omittamus.

Reliquum iam est, ut de scriptorum illorum elocutione pauca disseramus. Quorum primos Graeca lingua usos esse iam supra demonstratum est. Quibus de causis hoc factum sit non plane ignoramus. Primum enim alios populos de Romanorum virtute atque gloria certiores facere volebant, deinde linguam latinam horridam illam et parum excultam continuae narrationi non convenire putabant. Quam indolem lingua latina in illorum virorum operibus prae se fert, qui ad res gestas conscribendas ea usi sunt. Itaque Cicero antiquos illos scriptores iis adnumerat, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarum-

1) Gell. N. A. XI, 14 (a nobis infra laudatum).
2) Plin. H. N. XVIII, 8, 2.
3) Liv. XXXIX, 6; Plin. H. N. XXXIV, 8, 16; XXXIII, 53.
4) Plin. H. N. XXXIV, 14.

que rerum reliquerint et alio loco Atticum de iis hoc modo loquentem inducit: „Post annales pontificum maximorum — si aut ad Fabium aut ad eum, qui semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam isti omnes?“ Quae Attici verba, quo ad Catonem spectant, paullo restringenda esse ipse Cicero nos docet, qui egregie Catonis in dicendo virtutes laudet[1]. „Quis — ait — illo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta... et verbis et rebus illustribus. Licet ex illis eligant ea, quae notatione et laude digna sint, omnes oratoriae virtutes in iis reperientur. Iam vero „Origines“ eius, quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicut multis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis, cum brevitate, tum nimio acumine officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae... Sic Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio...“ Ad quae Atticus eandem fere profert sententiam, quam in libro I, 2, de legibus invenimus[2]: „Ego — inquit — Catonem tuum, ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique cum prudentia tum omni virtute excellentem probo: orationes autem eius, ut illis temporibus valde laudo; significant

1) Brut. cp. 17.
2) Brut. cp. 85.

enim quandam formam ingenii, sed admodum impeditam et plane rudem. Origines vero cum omnibus oratoriis laudibus refertas diceres et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas an mihi probaturum? Quos enim ne e Graecis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas hominem Tusculanum, nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere?"— Quae iudicia diversa et quodammodo contraria melius intelligemus, si reputaverimus, quid uterque horum virorum spectaverit; Cicero antiquitatis vim et gravitatem prosecutus, eam aequalibus suis, qui elato et tumido Asiano, qui vocatur, dicendi generi studebant, commendare voluit; quam ob rem antiquitatis, ut ita dicam, partes suscepit; Atticus contra exultae et politae sui temporis elocutioni indulgens idem illis Catonis scriptis tribuere non potuit. Et ipse quidem Cicero aliquantum in Attici sententiam cedere videtur dicens: „Volvendi sunt Catonis libri; intelliges nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventae nondum erant, florem et calorem defuisse". Quae omnia si cogitaverimus in utraque sententia non nihil veri inesse fatebimur, quod quo melius intelligatur fragmentum e Catonis libris depromptum afferamus: „Q. Caeditius tribunus ad consulem venit; ostendit exitium de loci opportunitate et hostium constantia. Maturum censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire iubeas, eamque uti occupent, imperes." [1]) Videmus minus florum quam virium

1) Gell. N. A. III, 7.

habuisse Catonis orationem, quae firmo et gravi, ut ita dicam, pede procedens plane ingenio sinceri et tenacis illius viri conveniat. Neque tamen negare possumus in ipsa illa gravi nulloque fuco affecta oratione non nihil fuisse suavitatis, non artificiosae quidem, sed naturalis illius, quae ex ingenio severo rebusque ipsis impleto quasi ultro profluit.

Similis Catonis dictioni cum L. Calp. Pisonis esset diversae veterum scriptorum de ea traduntur sententiae. Cicero enim dicit: „Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt et annales sane exiliter scriptos,“ et Gellius (N. A. XI, 14): „Simplicissima — ait — suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est.“ Legas exempli causa fragmentum eius apud Gellium (VI, 9) servatum: „... Hi contemnentes eum, assurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius, Auni F., aediles id arrisit; sellam curulem iussit sibi afferri; eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset, utique ii omnes inviti viderent sese in sella curuli sedentem.“ Aliud quoque eiusdem scriptoris excerptum dignum est quod afferatur[1]): „Eundem Romulum dicunt, ad coenam vocatum, ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. Ei dicunt: Romule, si istud omnes homines faciant, vinum vilius sit. His respondit: immo vero carum, si, quantum quisque volet, bibat; nam ego bibi, quantum volui“. Quanta simplicitas et dictionis quasi infantia! Verba enim composita non coniuncta, singulae sententiae nullo vinculo inter se cohaerent, quo fit, ut

1) Gell. N. A. XI, 14.

tota oratio, haud raro numeris paene destituta, simillima sit muris illis antiquis, qui cyclopii vocantur, quorum singuli lapides nullo ligamento ligati solo pondere continentur.

Eadem fere de aliis illorum scriptorum dicenda sunt, quamquam bene tenendum est, pro ingenii indole alium alio in dictione „plus habuisse virium“ neque omnes aeque ac Catonem quid in narrando historiae dignitas maxime postularet, intellexisse. Sed „ad perfectius dicendi genus se erexit et maiorem historiae addidit sonum Coelius Antipater,“ quem Cicero his verbis iis opponit, qui antea vixerant [1]): „Ceteri non exornatores rerum sed tantummodo narratores fuerunt“, et libro primo de legibus: „Fannii aetati coniunctus Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas sine nitore ac palaestra.. Sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.“ Apparet Coelium a Cicerone perfectum rerum scriptorem non appellari, sed „ut temporibus illis luculentum“, qui ad perfectum elocutionis genus propius quam reliqui accesserit. Quem tamen progressum exiguis, quae exstant, fragmentis demonstare non possumus. Omnes vero huius aetatis scriptores Cicerone auctore Sisenna vicit[2]): „Sisenna — ait — doctus vir et studiis optimis deditus, bene latine loquens; omnis eius facultas ex historia ipsius perspici potest: quae cum facile omnes vincat superiores tum indicat tamen, quantum absit a summo quamque genus hoc scriptionis nondum sit

1) Brut. cp. 26.

2) Brut cp. 64.

latinis litteris illustratum," et in primo de legibus libro: „Sisenna omnes adhuc nostros scriptores, nisi forte, qui nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur." Erat igitur, quod in dictione eius reprehendi posset; quid vero illud fuerit e Ciceronis verbis, quae in Bruto (cp. 74) leguutur optime posse cognosci puto. Sisenna enim recte loqui putabat nihil esse nisi inusitate loqui, quo factum est, ut emendare sermonem usitatum animum induceret. Cum igitur pervetera et inusitata conquireret verba [1]) eaque in orationibus tam crebre adhiberet, ut eorum, qui audiebant, risum moveret, dubium esse non potest, quin in historia quoque conscribenda iis sit usus. Cuius rei testimonia sunt fragmenta, quorum plurima servata nobis sunt a viris illis, qui pervetera atque inusitata verba colligebant; ex iis simul apparet Sisennam suavi verborum numero fere non studuisse.

Quae de nonnullis annalium scriptoribus iam disputavimus cum, quin ad omnes referamus, nihil nos impediat, in dubium vocari non potest, eam, qua in historiis conscribendis usi sint, dictionem rudem atque impolitam fuisse.

Sed iam de antiquissimis Romanorum historicis sententiam feramus necesse est. Quod ut rite faciamus,

---

1) Cic. Brut. 75 „sputatilica crimina"; cuius generis verba permulta in fragmentis invenimus; cf. fragm. a Popma collecta et Sallustio (ed. Haverkampius) addito pag. 371 „enixim," p. 372 „praefestinatim", p. 373 „vellicatim et saltuatim".

gravissimi auctoris Ciceronis de iis iudicium consideremus. „Qualis — inquit [1]) — apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilaus fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio, modo enim huc ista sunt importata — et dum intelligatur quid dicant unam dicendi laudem putant brevitatem." Videtur igitur de Romanis scriptoribus illis Cicero idem iudicasse, quod de Graecorum logographis, sed bene tenendum est comparationem modo laudatam praecipue orationis genus spectare. Nos quidem ab hoc Ciceronis iudicio quamquam non plane abhorremus, tamen sententiam nostram certioribus circumscribere finibus volumus. Quod ad dispositionis artem elocutionemque adtinet, annalium scriptores eandem nobis praebent speciem, quam logographi. Sed si de fide atque auctoritate utrosque examinamus, Graecos a Romanis facile superari nemo non videt. Cuius rei causae et in fontibus, quibus Romanos inde a priscis temporibus fructos esse supra demonstravimus et in ipsorum scriptorum cum indole tum consilio sitae sunt. Fuerunt enim viri, qui annales Romanos condiderunt, cives honoribus ornati atque, cum per omnem vitam in re publica versarentur, ipsis rebus exerciti. A qua conditione maxima ex parte logographos alienos fuisse ex priori huius commentationis parte elucere putamus. Condiderunt autem illi Romanorum senatores, consules, equites historias, ut res a maioribus praeclare gestas posteris traderent eosque ad imitationem virtutum, qua-

1) de orat. II, 12.

rum proponebant imagines, incitarent. Logographi contra voluptati eorum, qui historias vel audiebant vel legebant quam maxime inservire studebant. Quare aliorum quoque populorum moribus atque rebus gestis libros suos implebant cum Romani perraro patriae fines sint egressi. Iure igitur annalium scriptores cum nostratibus conferuntur, qui media aetate chronica condebant. Sunt autem neque Romanorum annales neque nostratium chronica historiae nomina digna, quod omni carent arte, sed laudem habeant illam, res gestas ita collegisse atque litteris mandasse, ut posteris largam copiosamque iustae historiae materiem praebuerint. Sed iure fortasse miremur, quod, cum historiis scribendis ingenia Romanorum quam maxime accommodata essent neque operae parcerent, per duo fere saecula in cunis ita permanserit historia, ut Cicero suo iure dicere posset „historiam a litteris Romanis abesse." Cuius rei causa mea quidem sententia in eo sita est, quod Romanorum ingenia quamvis industriosa atque strenua ea fere carebant facultate, quae sola artem gignere solet. Quod minus in historia, quam in poesi aliisque artibus facile videris, quae rudes iacebant, donec Romani Graecos imitari coeperunt. Inde vero effloruerunt et cum a Graecis accepta excolerent Romani suo ingenio atque consilio ad quoddam fastigium pervenerunt artes ac litterae. Quo fit, ut iure de litteris artibusque dicas Romanis, quod idem historia nobis ostendit, in qua ea demum aetate, qua Graecorum discipulos se profitebantur Romani, praeclari exstiterunt auctores. Atque hoc loco, ut illius viri mentionem faciamus aequum est, qui, cum

Graeca exemplaria iterum iterumque commendaret, suorum ingenia atque vires quam maxime exercebat: Ciceronis, qui quamvis ipse in historia scribenda non elaboraverit, tamen inesse aliquid in Graecis historicis, quod Romanis sit imitandum bene intellexit atque sexcenties pronuntiavit. Qui vir aeque de civibus ac de litteris meritus suos adhortari nunquam desiit, ut deserto sicco annalium more tales componere studerent historias, quales Herodoti, Thucydidis, Polybii essent. Consilia autem illa, quae aequalibus proponebat non modo non frustra dedit, sed ipse eorum fructus percipere potuit in Caesaris Sallustiique operibus. Neque multo post tertius exstitit rerum Romanarum scriptor, magna laude dignus, Livius Patavinus.

Sed priusquam huic commentationi finem imponamus viam, quam hucusque confecimus, respiciamus.

Profecta est igitur Graecorum ars historica a carminibus epicis, quibus pro ingenii indole ab antiquissimis temporibus gens illa indulsit. Rerum gestarum memoria diu carminibus servata et propagata haud multo ante bella cum barbaris gesta prosa oratione litteris mandari coepta est. Nam ut poetica facultas atque epici carminis virtus evanuit, ita rerum soluta oratione conscribendarum studium maxime excitata est. Quae artis historicae primordia, sive artem criticam, sive compositionem, sive dictionem respicimus, admodum infirma et humilia erant. Logographorum enim, qui primi haec initia condiderunt, primarium consilium erat, omnia, quaecunque de terrarum situ et natura, de populorum institutis, cultu, moribus, originibus rebusque gestis qua-

cunque ratione perceperant, diligenter congerere et chartis mandare. Neque tamen nulla artis criticae vestigia, rara illa quidem et incerta, apud eos invenimus. Logographos excepit Herodotus, qui ingenio praeclarissimo praeditus et opportunitate temporis adiutus illorum quidem vestigiis progressus vitia minuit, virtutes ita auxit, ut iure pater historiae sit appellandus.

Diutius, quam Graeci, vera historia carebant Romani, id quod in utriusque populi ingenio et vitae conditione positum esse exposuimus. Apud Romanos autem minus carminibus et viva voce res gestae tradebantur, quam re publica quodammodo auctore monumentis et sacerdotum libris servabantur. Tali modo rebus gestis servatis Romani bellorum gerendorum et rerum publicarum cura occupati iustam historiam diu non desiderabant. Quae cum „post Punica demum bella" condi coepta esset, logographorum apud Graecos operibus, si dictionis et compositionis artem respicis, simillima erat; si ad veritatem fidemque spectas, facile Graecorum opera superabat. Cuius rei causa cum in multis aliis, quibus adiuvabantur Romani, rebus, tum in eo sita erat, quod aliarum gentium incuriosi suis tantum rebus condendis operam dederunt. Sed Romanorum quoque illi annalium scriptores artis criticae non nisi parva initia in historiam adhibebant et narratiunculis fabulosis haud raro indulgebant; quo fit ut historiae Romanae primordia aeque fere ac Graecorum fabulosam prae se ferant speciem, sed eam, fabulis non e poesi haustis, minus poeticam, quam pro ingenio populi fontiumque natura religiosam. Quibus in initiis diu versata historia Romana

Ciceronis aetate magis evehebatur per tres potissimum scriptores, quorum, quamvis alius alia quidem emineat virtute, summus est habendus Crisp. Sallustius.
